

Cum te expetebant omnes, florentissimo
 Regno reliqui: nunc desertum ab omnibus,
 Summo periculo, sola ut restituam, paro.

Remotum est, quod ultra quam satis est, petitur, hoc modo: *Quod si non P. Scipio Corneliam filiam Ti. Graccho collocasset, atque ex ea duos Gracchos procreasset, tantae seditiones natae non essent: quare hoc incommodum Scipioni ascribendum videtur.* Hujusmodi est illa quoque conquestio:

Utinam ne in nemore Pelio securibus

Caesa accidisset abiegna ad terram trabes!

Longius enim repetita est, quam res postulabat. *Mala definitio* est, quum aut communia describit, hoc modo: *Seditiosus est is, qui malus atque inutilis est civis* (nam hoc non magis seditiosi, quam ambitiosi, quam calumniatoris, quam alicujus improbi hominis vim describit); aut falsum quiddam dicit, hoc modo: *Sapientia est pecuniae quaerendae intelligentia*; aut aliquid non grave, nec magnum continens sic: *Stultitia est immensae gloriae cupiditas.* Est haec quidem stultitia, sed ex parte quadam, non ex omni genere, definita. *Controversum* est, in quo ad dubium demonstrandum dubia causa affertur, hoc modo:

Eho tu, dii, quibus est potestas motus superum atque
 inferum,

Pacem inter sese conciliant, conferunt concordiam.

Perspiciuum est, de quo non est controversia: ut si quis, quum Orestem accuset, planum faciat, ab eo matrem esse occisam. *Non concessum* est, quum id, quod augeatur, in controversia est, ut, si quis, quum Ulixem accuset, in hoc maxime commoretur, indignum esse, ab homine ignavissimo virum fortissimum, Ajacem, necatum. *Turpe* est, quod aut eo loco, in quo dicitur; aut eo homine, qui dicit; aut eo tempore, quo dicitur; aut iis, qui audiunt; aut ea re, qua de agitur, indignum, propter inhonestatem,